



SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De natura composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A θουῖτες τὴν ἀμαρτίαν, ἢ μὴ ἔχοντες ὅς ἕλας τῆς ἀμαρτίας, ὡς ἰσχυρὸς καὶ σὺν
 ληκίος κατεσθίουμένοι κολάσονται. τί γὰρ ἢ κολάσις, εἰ μὴ τὸ ποθεῖν μὴ ἔχειν;
 bus verbis liquidò patet, hunc Authorem impiorum pœnam in animi tantum cruciatu po-
 nere, non autem in corpore etiam dolore. Quod quidem mihi suspicionem affert, Dama-
 sceni hunc librum non esse. Nam ille & lib. 2. Orthod. fidei, cap. 4. apertissimè tradidit dia-
 bolo, atque iis qui ipsum sequuntur, paratum esse ignem nunquam extinguendum, sem-
 piternumque cruciatum: & in fine ultimi capituli lib. 4. tum dæmones, tum impios & sce-
 leratos homines, æterno igni traditum iri ait. Aut certè, si hunc Dialogum Damasceno af-
 ferere volumus, dicemus eum, quia locis proximè suprâ à me citatis pœnam sensus peripicuè
 constituisse, hinc damni pœnam duntaxat commemorandam duxisse. Alioqui enim
 impium hoc dogma, quod sensus pœnam damnatis eximit, cum innumera Scripturæ sacre
 testimonia perspicuè refutant, tum veterum omnium Patrum consentiens doctrina sem-
 per exploit ac reiecit. Quò detestabilior est eorum impietas, quos hac nostra, prodigi oso-
 rum errorum feracissima, proindeque miserrima, tempestate, idem non modò sentire, sed
 etiam, tum voce, tum scripto, profiteri non pudet. 14 Si immobile à principio) Græ.
 εἰ ἀκίνητον ἀρχῆς τὸ κεκόν, &c. Vbi tamen apparet legendum ἐξ ἀρχῆς. 15 Idem
 porrò simul) In impresso codice Græca sic habent, ὅτι ἐστὶ τὸ αὐτὸ ἀγαθόν. At manuscri-
 ptus meliùs, ὅτι ἐστὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τὸ αὐτὸ ἀγαθόν, &c. Sequenti autè versu, ante hæc ver-
 ba κατὰ τὸ αὐτὸ δυνάμει, legendum ἢ δὲ ἢ φθορῆ, vt sensus manifestè ostendit.

16 velut in abscondita quadam aula.) Gr. ὡς ἐπικεκρυμμέναι βασιλείαι. Quod tamen
 vocabulum mihi mendo minimè carere videtur. Atque haud scio an legendum potiùs sit,
 ὅτι κεκρυμμέναι βασιλείαι. Vult enim Author Manichæos materiæ suæ archontas quosdâ,
 hoc est principes, seu præfectos perinde tribuere, atque si de legitima quadam regni ad-
 ministracione ageretur. 17 Enimuerò ἀγαθόν) In vtroque exemplari Græca ad hunc
 modum habent, ἀγαθὸν λέγειν παρὰ τὸ ἀγαθὸν ἕϊον πάντα πρὸς ἑαυτὸ. Quidam tamen
 ad eruditissimi Cardinalis Sirleti codicem in margine, post ἕϊον addendum putat ἢ. Cu-
 ius opiniononi non inuitus subscribo. Quod autem mox sequitur ἢ φυσικῶς πάντα ἐφέλωι,
 nullo modo mihi immutandum videtur. Nam quod quidam vertit, Neque omnia natura-
 liter appetuntur, planè ab Authoris sententia est alienum. 18 O singularè Manichæo-
 rum absurditatem) Gr. ὡς ἀπὸ τῆς μαινιχῶν. Vbi tamen, nisi me porsus fallit iudiciù,
 ἀπόπων legendum est. Itaque hanc lectionem in interpretatione sequi minimè dubitavi.

19 vltro partem sui) Vox μέσος in vtroque codice desideratur, necessariò tamen ap-
 ponenda. 20 prænotio earum est, quæ certò futura sunt) τῆς πάντων ἐσομένων ha-
 bent Græci codices: πάντως tamen legi debere sensus ostendit.

D
 DE NATURA COMPOSITA
 CONTRA ACEPHALOS.

Acephalos, qui vltiore vocabulo Monophysita dictus sunt, à Severo ortum traxisse scribit Suidas. Ego
 tamen potiùs ad Eutychem, atque ipsum propugnatorem Dioscorum, ipsorum originem reuocarim. Hi porro ob
 vnicam duntaxat præpositiunculam, In, quæ tamen maximi momenti erat, ab Ecclesia proscripti, atque à
 Chalcedonensis Concilij Patribus anathemate percussi sunt. Etenim cum orthodoxis quidem Christum ex
 duabus naturis dicebant: sed eundem cum illis in duabus naturis esse minimè concedebant. Adversus hos
 igitur hinc disputat Damascenus, ac sequenti etiam tractatu multa inserit, quæ ad opprimendum hunc er-
 rorem spectant.

EX DIVERSIS naturis natura vna tum denique efficitur,
 cum copulatis in vnum naturis aliud quiddam à naturis co-
 pulatis diuersum efficitur, atque id quod efficitur, neutrum
 horum propriè est, nec appellatur: verum aliud quiddâ. Ver-
 bi gratia, Ex quatuor elementis, hoc est ex igne, aère, aqua, ter-
 ra, inter se coniunctis, ac temperatis, corpus conflatur. Cor-
 pùsque id quod efficitur, nec ignis est, nec dicitur, nec aër, nec
 aqua, nec terra: verum ex his aliud quiddam ab his diuersum. Eodem modo ex
 equo etiam & asino gignitur mulus: qui tamen nec equus nec asinus est, nec di-
 citur, sed aliud quiddam ab his secretum. At verò Dominus noster Iesus Christus

ex diuinitate & humanitate constans, etiam in diuinitate atque humanitate est. F
 Deusque perfectus est ac dicitur, itemque homo perfectus, totusque Deus, ac to-
 tus homo. quod quidem de composita natura dici non potest. Nec enim totum
 corpus ignis est, nec totum aer, nec totum terra, nec totum aqua, nec item totus
 mulus equus est, nec totus asinus, nec perfectus equus, nec perfectus asinus. Chri-
 stus contra, ut à nobis dictum est, perfectus Deus est, ac perfectus homo, totusque
 Deus, ac totus homo. Quapropter composita vna natura non est, sed vna in dua-
 bus naturis agnoscenda persona, duplexque natura in vna composita persona.
 Sicigitur hæreticos interrogemus: Cum Christum ex duabus naturis conflatum
 dicitis, ex quibus tandem naturis dicitis? Respondebunt, ex diuinitate & huma-
 nitate. Deinde ita sciscitari pergemus: Qui fit, ut cum Christum in diuinitate at- G
 que humanitate dicatis, non etiam eum in duabus naturis dicatis? Neque enim
 hoc dicere possunt, Christum in diuinitate atque humanitate non esse. Rursum
 ex ipsis percunctemur, vnanime composita natura Christus fit, an dua. Vna natura
 composita, inquit. Quæramus postea: Quod simplex est, eiusdemne cum eo
 substantiæ est, quod est compositum? Certè dicere non possunt rem simplicem
 & compositam eiusdem substantiæ esse. Deinceps autem dicamus: Quòd si igitur
 vnus compositæ naturæ, quæ ex diuinitate & humanitate concreta fit, Chri-
 stus est, Patri consubstantialis non est: neque enim Pater compositæ ex diuinitate
 & humanitate naturæ est, sed simplicis. Quin ne eiusdem quidem cum matre H
 substantiæ erit. Neque enim Mater ex diuinitate & humanitate cõflata est. At nos
 Christum personam vnã in duplici natura, hoc est in diuinitate & humanitate,
 dicentes, diuinitatis ratione ipsum eiusdem cum Patre substantiæ esse dicimus:
 ratione autem humanitatis, eandem cum matre substantiam habere. Ac neque ip-
 sum diuidimus (quippè cum eum personam vnã esse pronunciamus:) nec rur-
 sum confundimus, cum duas naturas inter se copulatas confitemur. Ac rursum
 ad hunc modum agamus: Si diuinitatis Christi, carnisque ipsius, vna natura est,
 profectò cum vna Patris & Christi natura sit, vna etiam Patris & carnis natura
 erit. Ac rursum: Quonam modo naturarum discrimen confitemini? Differentia
 etenim duas vtminimùm res inter se discrepantes inducit, siue naturas, siue per-
 sonas, siue vnã quidem personam, cæterùm quæ per accidens, quod separari
 possit, conuertatur & immutetur. Porrò quòd personarum differentiam haud- I
 quaquam dicatis, perspicuum est. Quòdque item de accidenti, quod separari po-
 test, illud minimè intelligatis, constat. Neque enim eum quandoque immorta-
 lem, quandoque mortalem dicitis, ex immortalitate videlicet in mortalitatem
 commutatum: quemadmodum nos ex morbo in sanitatem. Relinquitur itaque,
 vt naturalem differentiam dicatis (quod etiam ipsi confitemini) atque natura-
 lem differentiam confitentes, primùm naturas ipsas, quæ inter se discrepant, con-
 cedatis. sublatis enim naturis ac substantiis, ne eæ quidem, quæ substantiam attingunt,
 differentiæ futuræ sunt. Quòd si, vt vna persona, sic etiam vna dütaxat na-
 tura in Christo est, quid assertis, quamobrem cum naturarum differentiam dica-
 tis, non etiam personarum differentiam in ipso constituatis? Quid item est, cur K
 cum Christum ex duabus naturis conflatum esse dicatis, non etiam eum ex dua-
 bus personis concretum esse affirmetis? Si vnus compositæ naturæ Christus est,
 eiusdem cum Patre substantiæ minimè est. Simplicis enim naturæ Pater est. Quod
 autem simplex est, & quod compositum atque concretum, eiusdem substantiæ
 minimè sunt. Si, quantum ad eandem substantiam attinet, Christus eandem cum
 Patre ac nobis substantiam habet, eiusdem nobiscum Pater substantiæ erit. Si
 Christus cum Patre, qui simplici natura præditus est, eiusdem naturæ ac substan-
 tiæ est, sanè, cum Christus compositam naturam habeat, duplicem naturam ha-
 biturus est, vnã nimirum simplicem, alteram compositam. Si de vestra senten-
 tia vnum & idem sunt natura & persona, aut cum tres sanctæ diuinitatis personæ
 sint, tres etiam ipsius naturæ erunt: aut si vna natura est, vna quoque persona erit:
 aut si

A aut si alteram quidem communē naturam dicitis, & alteram quæ in singulis personis consideratur (quam etiam particularem appellatis) non modò Christum, sed etiam Patrem, ac Spiritum sanctum, duplici natura constare necessariò vobis confitendum erit, altera videlicet communi, altera composita. Si increata ac sempiterna esset diuinitas, creata autem atque initium habens humanitas, quoniam pacto id quod principij expers est, & quod initium habuit, vnus naturæ erunt? Quoniam autem vnum sancti Athanasij & sancti Cyrilli locum proferunt, in quo vnam Dei Verbi naturam incarnatam dicunt, hoc respondemus: eandem esse huius dicti vim cum eo quod à sancto Gregorio Theologo dictū est: Quorum alterum diuinitatem dedit, alterum accepit. Quemadmodum enim id quod

B ignescit, non eius rei, quæ ignescit, mutationem, sed cum igne coniunctionem significat eodem modo etiam *θεωσις*, i. diuinitatis acceptio, coniunctionem cum diuinitate significat, & incarnatio cōiunctionem cum carne. Quapropter vnam Dei Verbi, hoc est diuinitatis ipsius, incarnatam, id est carni copulatam naturam agnoscimus: atque item vnam carnis Verbi naturam Deificam, hoc est cum diuinitate coniunctam. Ex quo efficitur, vt duæ naturæ inter se coniunctæ sint. Nam si vnam duntaxat Dei Verbi naturam dixisset, nec incarnatam adiunxisset, sine vlla controuersia vtrumque naturam vnam indicaret. At cum vnam Dei Verbi naturam dixerit, adiunxeritque, *incarnatam*, hoc ipso quod *incarnatam* dixit, carnis naturam substantiamque declarauit. quemadmodum etiam ipse in Epistola, quam ad Sucensum scripsit, se ipsum exponens, ait: Nam si, cum Dei Verbi naturam dixissemus, illic substituissemus, nec *incarnatam* subiuissemus, probabilis fortasse ipsorum ratio esset, cum per simulationem ex nobis quærerent, si totum vna natura est, vbi nam sit in humanitate perfectio. Cum autem per hoc vocabulum, *incarnatam*, carnis declaratio inuecta sit, desinant quæso arundineo baculo niti. En perspicuè hoc sustulit, quod totum, id est vtrumque coniunctum, vna duntaxat natura sit. Ac per vocabulum, *incarnatam*, carnis declarationem inuectam esse dixit. Vnam itaque Dei Verbi naturam habemus: ac per hoc vocabulum, *incarnatam*, carnem item habemus. Caro porrò naturæ atque essentiæ minimè expers est. Ita fiet, vt Verbi natura, & caro, quæ essentiâ prædita est, duæ essentiæ sint. Quid autem causæ est, cur, cum diuinitatis naturam, & carnis naturam, in Christo confitentes, aliud atque aliud esse dicatis, duas tamen naturas minimè concedatis, illic videlicet trepidantes timore vbi non est timor? Respondent: *Psal. 19.*

Quoniam diuisionis initium est numerus. Ac proinde duas in Christo naturas negamus, ne in diuisionem incidamus. Ad quos hoc dicimus: numerum omnè rerum earum, quæ in numerum cadunt, quantitatem designare, non affectionem & qualitatem. Nam cum tres homines dicimus, non tres distinctas personas dicimus. Et cum tres personas in diuinitate dicimus, distinctas eas haudquaquam cōfitemur. Ad eundemquè modum, cum duas in Christo naturas dicimus, ac numerum significamus, diuisionem proinde minimè admittimus. Vt enim in sancta Trinitate tres personæ sine diuisione sunt, ac sine confusione copulantur: (sine diuisione nimirum, tum propter naturæ vnitatem, tum quia citra cōfusionem vllam inter se immeant: sine confusione autem, propter hypostaticam differentiam, hoc est existendi modum, nempe quia vnus inginitus est, vnus genitus est, & vnus procedit, nec personarum numerus diuisionem infert:) eodem quoque modo in Dei Verbi incarnatione duæ naturæ simul & sine diuisione & sine cōfusione inter se coniunguntur: sine diuisione quidem, tum ob personæ vnitatem, tum quia naturæ citra vllam confusionem inter se immeant: sine confusione autem, propter substantialem differentiam, hoc est creatum & increatum, mortale & immortale, circumscriptionem & circumscriptionis expers, aliæque id genus: nec numerus naturarum diuisionem inducit. Quoniam autem dubio animo nobis esse videntur, atque per animi inconstantiam hoc obicere, nullam essentiæ esse, quæ hypostasi careat, nec naturam, quæ personæ expers sit: ex quo illud sequi,

Hæc Epistola non existat.

vt si duas essentias ac naturas in Christo dicamus, duas quoque substancias ac per-
 sonas profiteri necesse habeamus: huic obiectioni ad hunc modum responde-
 mus. Etsi nulla essentia est, quæ hypostasi careat, nec natura, quæ rationis sit ex-
 pers, (Quippè cum in hypostasibus & personis natura consideretur:) non tam en-
 hinc sequitur, aut essentiam hypostasim, aut personam naturam esse. Nam si es-
 sentia hypostasis, ac natura persona est, in sancta diuinitate necesse est, aut cum
 vnam essentiam atque vnam naturam dicimus, vnam quoque hypostasim atque
 vnam personam confiteri: aut si tres hypostases ac personas cōfiteamur, tres quo-
 que naturas & essentias esse confiteri: itémque in humanitate, vel naturam vnam
 atque vnam personam confiteri: vel infinitas essentias, quemadmodum & perso-
 nas constituere. illudque præterea necesse est, vt ex duabus naturis Christu con-
 flatum esse dicentes, ex duabus quoque personis Christum concretum esse assera-
 mus. Hoc igitur dicimus, quòd in hypostasibus quidem essentia consideratur,
 eoque etiam nomine *ὑποστάσις*, hoc est hypostasi prædita est, sed non hyposta-
 sis. ac proinde minimè necesse est, vt quod hypostasi præditum est, hypostasis
 dicatur. Duplici enim modo tum hypostasis, tum id quod hypostasi præditum
 est, dicitur. Hypostasis enim quandoque simplicem existentiam significat: eoque
 significatu non modò simplicem essentiam designat, sed etiam id quod aduenti-
 tium est. Quandoque rursum in diuinitate, hoc est personam: quæ quidem sepa-
 rata persona dicitur, vt Petrus, Paulus, certus equus, aliæque generis eiusdem. Eo-
 demque modo id quod hypostasi præditum est, interdum essentiam significat,
 vt in hypostasi consideratur, ac per se existit. Interdum singula ea, quæ ad vnus
 hypostasis compositionem cōeunt: velut in anima & corpore res se habet. Ergo
 tum Christi diuinitas, tum humanitas hypostasi prædita est. Habet enim vtraque
 natura communem vnam compositam hypostasim, diuinitas nimirum ante se-
 cula, & sempiternè: caro autem animata atque intelligens, in extremis tempori-
 bus ab ea assumpta, atque in ipsa existens, eamque pro hypostasi habet. Illud rur-
 sus obiiciunt, sanctos Patres in explicando Christi mysterio hominis exemplum
 adhibuisse. Ex quo illud efficitur, vt cum vna hominum natura sit, vna quoque
 Christi natura sit. Audiant igitur quid respondeamus. Naturæ vocabulum etiam
 de specie vsurpatur. Etenim omnes homines vnus naturæ esse dicuntur, vt qui sub
 vna specie, hoc est sub humanitate collocentur. At non item vnus naturæ ho-
 mo est, vt qui ex anima & corpore constat: nec inuisibilis anima, cum corpore,
 quod cerni potest, eiusdem substantiæ est. Quare cum homo cum homine com-
 paratur, eiusdem substantiæ esse dicuntur: propterea quòd ad vnam eandemque
 speciem referuntur: & quia omnes ex animo & corpore concreti sunt. At cum
 hominis natura consideratur, duplex in eo natura perspicitur, hoc est animæ &
 corporis, in vna hypostasi composita. Siquidem in animæ ac corporis compara-
 tione quis tam vacors est, vt vnam eandemque vtriusque partis naturam esse di-
 cat? Contrà in Christo species non est: neque enim multi Christi sunt ex diuini-
 tate & humanitate constantes, vt omnes sub eadem specie collocati vnus naturæ
 dicantur: verum vnus est Christus, ex duabus & in duabus naturis agnoscendus.
 Ait enim Theologus Gregorius: Naturæ quidem duæ sunt Deus & homo, quæ-
 admodum scilicet duæ sunt anima & corpus: at non item duo Filij. Adhæc, quæ
 fieri poterit, vt vna eademque natura pugnantem inter se substantiales differentias
 habeat? Nam cum aduentitiarum differentiarum vicissim duntaxat & alterna-
 tim, ac non simul capax sit substantia, quonam tandem modo earum, quæ essen-
 tiam ipsam attingunt, capax erit? Illud enim constat, fieri non posse, vt pugnan-
 tes inter se substantiales differentias in vna & eadem essentia reperiantur. Neque
 enim eadem essentia rationis particeps erit, & rationis expers, aut creata & increa-
 ta. Præterea essentias ipsas essentiarum effectrices differentias constituunt: proin-
 deque essentiales & effectrices dicuntur, atque in essentiis consistunt. Quamobrè
 si effectrices essentiarum differentias in Christo confiteamini, essentias quoque
 confiteri

A confiteri necesse vobis erit. Quarum enim alioqui rerum erunt? Ac nisi essentias efficiant & constituent, frustra utique fuerint. Insuper, si vnam duntaxat diuinitatis & humanitatis Christi naturam dicitis, ex vobis quero, Quam naturam Christus perpassus est? Composita scilicet, dicitis. At qui cum vnam eam esse censeatis, ipsi quoque perpassionem necessario attribuetis. Ita de vestra sententia fiet, vt in Christo, tum diuinitas, tum humanitas perpassioni subiecta sit. Adhuc, si vna Christi composita natura est, aut perpassioni obnoxia duntaxat est, aut duntaxat perpassione vacua, aut simul atque eodem tempore perpassioni obnoxia & a perpassione aliena, aut mutabilis, ac quandoque perpassioni obnoxia, quandoque a perpassione immunis, aut aliqua ex parte perpassioni subiecta, & aliqua ex parte perpassione libera. Quam igitur ex his impietatibus volueritis, optio vestra est.

B Nam si perpassioni duntaxat obnoxia, Christus Deus non est. Si autem duntaxat perpassione vacua, Christus homo non est. Quod si interdum quidem perpassioni obnoxia est, interdum autem a perpassione immunis, non naturam perpassioni subiecta erit, nec naturam a perpassione immunis, sed ratione duntaxat aduentitia. Nam quod naturam insitum est, a sua natura minimè demigrat. Sin autem partim perpassioni obnoxia, partim a perpassione remota est, naturam autè vtrumque est id quod est, vtraque pars eiusdem naturam minimè erit. Atque hac ratione duplici natura Christus constabit, qui quidem non natura, sed hypostasis est. Si quidem fieri non potest, vt eadem natura, simul & perpassioni obnoxia, & perpassione vacua sit. Neque enim vna eademque essentia inter se pugnantiù differentiarum, quæ ad essentiam pertinent, capax esse potest. Præterea illud velim nobis explicetis, diuinamne naturam Christus habeat? Habere profectò responderetis. Humanamne item habeat? Istud quoque confitebimini, nisi apertò, vt dici solet, capite impij esse velitis. Diuina igitur natura, & humana natura, vnane natura est, an duæ? Si vnam dixeritis, Pater eiusdem nobiscum essentiam erit. Si autem duæ, ac non vna, cur non procul abiecto fastu, atque eius parente diabolo, nobiscum vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum, vnam personam ex duabus naturis, & duas naturas, & ex duabus naturis confitemini? Nam si Christum nunquam duas naturas habuisse asseritis, quid frustra vnus ipsum post coniunctionem esse dicitis? Sin autem ante coniunctionem duas eum naturas habuisse concedentes, vnus duntaxat ipsum post coniunctionem esse profiteamini, perspicue veritati repugnatis. Nam cum ante coniunctionem, hoc est ante diuinam incarnationem, vnus simplicis naturam, hoc est diuinam, esset, vnamque personam constitueret, ne Christus quidem erat, nec appellabatur, nisi cum per Prophetiam modum id quod futurum erat, prædiceretur. Quamobrem aut duas in Christo naturas profectus tolletis: aut priusquam ex Virgine carnem assumeret, duplici eum naturam constituisse dicitis, dum duas ei proprias naturas post coniunctionem tribuere minimè sustinetis. Nos autem hæc quæquam ad hunc modum sentimus: neque hæc pars est Iacob. Verum pietatis finibus nos ipsos continentes, vnam ex diuinitate atque humanitate compositam personam dicimus. Nam ipsa quoque omni antiquior Dei Verbi hypostasis, cum in sancta ac perpetua Virginis utero habitasset, in ipso carnem animatam ac rationem vtentem condidit, carnemque animatam ac rationem præditam hypostasis extitit. Factusque est ex perfecta diuinitate ac perfecta humanitate vnus Christus, vnus Filius Dei & hominis, vnus Dominus, idem Deus perfectus, & homo perfectus, totus Deus & totus homo, copulatis nimirum inter se sine vlla confusione ac mutatione & diuisione naturis. Sine confusione scilicet (quoniam vtraque natura differentiam suam retinet, hoc est diuinitas vt increata sit, humanitas vt creata: diuinitas, vt perpassionis expertus sit: humanitas, vt in ipsum perpassio cadat, aliisque id genus.) Sine mutatione autem, quia vtraque natura mutationis expertus mansit: sic nimirum vt neutra in alteram conuersa sit, nec vna composita natura extiterit, sed duæ in sempiternum maneant. Sine diuisione denique, quia inter se in vna persona coniunctæ sunt, vnam hypostasim habentes,

D. IOANN. DAMASCENI

quæ cum ævo omni antiquior sit, corporeq; vacua & simplex, extremis temporibus à sancta & perpetua Virgine citra ullam commutationem corpore induta fit. Nam & hoc & illud est, hoc est corpore vacans, ratione sempiternæ diuinitatis: & corporea, carnis respectu, quæ initium habuit, atque assumpta est. Hæc autem est ævo omni prior Filius ac Dei Verbum, qui idem ipse & corpore vacat ut Deus, & corpore præditus est, ut qui ad extremum homo effectus sit. Copulatur itaque naturæ in vna persona, atque inter se comitantur: * quoniam anima quædam, ut quæ perfectioni obnoxia sit, licet vnâ cum corpore ipsa minimè incidatur, tamen simul cum eo dolet: at diuinitas simul cum corpore minimè perpetiebatur. Eaque de causa diuinitatem minimè passam esse dicimus, nec rursus Deum per carnem passum esse.

* Hæc, quia in Græc. e-rant, vertimus: superflua tamen videntur.



D. IOAN. DAMASCENI

EPISTOLA DE TRISAGIO,

hoc est, ter sancto Hymno.

REVERENDO IN DEO AC DIVINO

zelo flagranti, Domino Iordani Cænobiarchæ, Ioannes Damascenus in Domino salutem optat.



1. Cor. 13.
2. Tim. 2.

Charitas erga proximum, charitatis erga Deum nota est.

Diaboli astus.

VERVMVS meus erga te amor, Patrum præstantissime, non ex fluxa & instabili causa ortum traxit: verum ex diuina charitate, quæ ita naturâ comparata est, ut nunquam excidat. Nobis enim exploratum est, quàm rectè de fide sentias, quàm rectè veritatis sermonem tractes, quàm ardens in te zelus sit, quàm sincera erga Deum charitas, ex qua & per quam tanquam catena quadam cum proximo deuinctus es. Etenim illa velut primus fons est: hæc verò secundus, ac primus signum. Quippè charitas erga proximum, amorem erga Deum certissimis notis exprimit ac declarat. Nec verò nos fugit, quæ diuinorum sermonum cupiditate teneris, quòdque voluptatem eam, quam ex his percipis, ipso quoque melle dulciorem esse ducas. Diuinam enim pulchritudinem vtcunque conspicas es, atque ad eam animi pennis in altum te extulisti, Deique ac diuinorum simulacrorum purissimum speculum effectus es, ut qui pulchritudinis loco virtutem habeas, ac per accuratissima ipsius pigmenta veram diuinæ pulchritudinis, quæ omnis boni exemplar est, effigiem in te exprimas. Quapropter cum te expetimus, virtutem expetimus, atque adeò Deum, à quo tu virtutis dotes accepisti. Verum, ô rem miseram, Pater, rem inquam, miseram, quoniam pacto Ecclesiæ hostis id semper omni studio contendit, ut eam pesturbet: quòdque grauius est, per eos, qui pietatis alumnos sese profitentur. Etenim semina pietate præditus frater noster Abbas Sergius, ciuis & familiaris & amicus meus, per litteras, quas probus ac sincerus frater Abbas Iob attulit, certiore me fecit, Abbatem Anastasium, præclarum inquam illum monasterij beati Euthymij antistitem, nonnulla è sanctorum Patrum libris loca protulisse, quæ scilicet ter sanctum hymnum ad Filium, duntaxat referant. Quòd si concessum fuerit, nihil erit quod prohibeat, quin lues ea, quam Cnaphæus malè ac pestiferè inuexit, omnes funditus inficiat & labefactet. Demiror autem, demiror inquam, si hæc ita sunt: ac rursus demiror, si ita non sunt. Nam & rectam venerabilis illius viri, hoc est Anastasij, de fidei doctrina sententiam perspicuam